



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

IX. Quod Ducis filia est sceleris publicatæ, & quia Lampertus virum Dei est persecutus, pro inobedientia multatus est graui sententia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

mendationis ordine demulcet, & salutatis omnibus, viam ingreditur.

## IX.

Quo longius procedente, supra dicti ducis filia commissi sceleris publicata, & ante patris tribunal constituta, de auctore tam solennis iniuriæ conuenitur. Cumq; diu, scemineo metu, spiritus obstupesceret, & alternante timore pariter & amore lingua hæreret, arguentium impetu coartata, in innocentis Episcopi personam dedecus suum coniecit. Quo pater audito, tanto vehementiori indignatione flammescit, quanto altioris dignitatis fastu intumuit; acceptoq; mucrone ad extinguendam propriam sobolem ruit, perficeretq; facinus, nisi manus assistentium puellam imminenti periculo subduceret. Prosequitur autem tantum sententia furorem sæua, nam ex hæredatam in AVSONIÆ longinqua relegat, perpetuo puniendam exilio, quam nunquam miseratio paterna reuocauit: quia inconsolabilis est dolor, quem altus nutriuerat pudor. Huic iudicio LAMPERTVS puellæ germanus interfuit, quem grandis, pro confusione sororis, inuasit tristitia; & quod iuuentuti familiare est, pro falsa fide cœpit cum temerarius furor. nam mixto dolore postquam bestialiter effremuit, iram subit amentia, fletuq; deposito profilit ad vindictam. Sumpto itaq; comitatu non pauco, properat virum DEI persequi.

## X.

Interea sanctæ memoriæ pater trium dierum cursum explicuit, & in vicum quendam HELPHANDORF nuncupatum, vbi fons perspicuis manabat aquis, morarum causas innectit sociis, inuenta gerendi quilibet occasione. Mens enim diuino amore lustrata, vbi certaminis campum inuenit, in aduentum temporis, arma fidei, & constan-